non timeret captivare nec etiam fratri pepercit,
sed in bonis ~~propriis~~ patris illius violentus
existens paulatimque eum a castris, que
ipsorum erant communia, excludens exhere-
dare eum modis omnibus conabatur. Mortuo
itaque Ottone marchione, Albertus, filius eius
marchiam Missnensem obtinuit, fratrem
suum Theodericum comitem de Wißenfels
persequi cepit eumque omnino omnibus suis
bonis privare, si potuisset, voluit. Theodericus
tali siquidem violentia fratris sui dudum
quasi triennio et amplius pressus, pro
auxilio petendo ad Hermannum Thuringie
lantgravium se contulit, quem ille aliquan-
diu suspendit, dicens se, ut marchioni Alberto
bellum inferret, occasionem ydoneam non
habere. Habebat autem filiam iam nubilem.
Comite vero petitionem sepius iterante, lant-
gravius de consilio suorum respondit, si gener
eius fieri vellet, se ei omnibus modis
succursurum. Quod ille quidem primo, quia
puella oculis eius propter sui difformitatem
displicebat, renuit. Sed tandem necessitate
coactus consensit coniugioque facto ex tunc
auxilio lantgravii fratri cepit superior appa-
rere. Demum cum marchio Albertus contra
fratrem et castrum Wißinfels in loco vicino
qui Sibolinberg dicitur novum castrum con-
strueret, comes Theodericus superveniens,
ipsum fugavit, plures ex militibus suis
captivavit. Cum itaque iam manifeste
lantgravius Hermannus marchionem
Albertum appeteret inimicitiis, ille marchio
in loco Reveninge dicitur militibus collec-
tis, ipse se hostem ostendere Thuringis modis
omnibus intendebat. Cuius conatum lant-
gravius anticipans castra eius cum suis
improvisus irrupit turbatisque omnibus qui
circa ipsum erant, eos ad fugam coegit, non
paucis eorum, licet aliquandiu viriliter re-
stiterunt, captivatis. Marchio vero cum tribus
(vix)

Margin notes:
a) proprio — B
missn — ~~Missn~~
comite
succursurum
R
ß
construeret
+ f. CCLIX c.
a) Hermannus c. corr. ~~...~~ -nus (manu recenti)
ille
~~qui dicitur~~ reveninge (u=n)